ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: GREGORIUS MAGNUS. PS. MARCILIA. PS. BOTO PRUVENINGENSIS

2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36542
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

contrarii eius esse uoluntati, tamen per uirtutem regis qui
tunc temporis regnauit ibi positus est. Postquam autem
rex cognouit quod abbati suo et monachis omnibus loci eadem
displicebat. eum de eodem loco abstulit, et misit eum ad
aliam abbatiam. que longe ab eodem loco distabat. et ibi
aliquamdiu mansit. Postea uero rediit ad locum certesie. et
iterum ibi manere cepit. Non multo uero tempore postquam
ibi reuersus est inuasit eum quedam grauis infirmitas. qua
et mortuus est. Quamuis autem iste leuricus fere in cunc-
tis que agebat ualde esset reprehensibilis. tamen sanctam ma-
riam multum diligebat. sepius que in eius ueneratione bis uel
ter in ebdomada missam celebrabat. Cum autem ab eadem
infirmitate que eum ceperat uehementer esset afflictus.
morique timeret. mandauit suo abbati. ut ad eum
uenire dignaretur. eumque sibi antequam moreretur recon-
ciliaret. timens ne si antequam reconciliatus fuisset.
moreretur. propter peccata sua dampnaretur. Hac itaque in-
firmitate grauatus dum se huc illucque uerteret in
loco ubi iacebat. nesciens quid potissimum faceret.
quod eum adiuuaret, rogauit monachos qui ibi erant.
ut pro dei amore et sancta caritate ei misericordiam facerent.
et euntes in monasterio pro eius angustiis dei misericordiam
et sanctam mariam matrem misericordie exorarent. quatenus
ei subueniret. et animam eius a penis quas timebat
liberaret. Interim dum suum abbatem expectaret. et
fratres letanias et orationes pro eo facerent. loquelam ami-
sit. et obmutuit. similisque mortuo fuit. Monachi
uero qui in monasterio erant. et pro eo orationes ibi
faciebant. ut hoc audierunt. statim ad eum cucur-